

Hac Carina Iupiter congressus, Britomartim genuit: quae hominum fugiens consuetudinem, perpetuam virginitatem amplexa, primum ex Phoenicia Argos devenit ad Erasini filias, Byzem, Melitam, Moeram, & Anchiroam. Deinde Argis in Cephalleniam profecta, ab incolis Laiphria nominata est, sacriisque numinis instar honorata. Venit inde in Cretam: visamque Minos, cum amore eius captus esset, insecutus est. Ea ad pescatores confugit, ab iisque subter retia occultata est, vnde Cretenses eam Dictynnam (nam dicty rete significat) nuncuparunt, & sacra obtulerunt. Euitato Minoe, Britomartis cum Andromede pescatore nauigio Aeginam venit. Cumque pescator eam comprimere conaretur, reliquo nauigio, in lucum confugit, ubi nunc eius sanum est, ibique e medio est sublata: & nomen ei Aphaea posuerunt, in fano Diana. Locum, ubi oculis hominum subtracta est, Aeginetae consecrarunt, Aphaamque dixerunt, & tanquam deo sacrificarunt.